






LIBERTÉ ET PATRIE
DON FAIT À LA
Bibliothèque Cantonale
et Universitaire
par feu Mr le Professeur
RIVIER
Consul général à Bruxelles
1898
Jn SIBER

PRIMAE LINEAE
HISTORIAE POLITICES
S. CIVILIS DOCTRINAE.

AVCTORE

CAROLO DAN. HENRICO RAV,

PHILOS. DOCTORE IN ACAD. FRID. ALEXANDR. LEGENTE,
GYMNAS. ILL. ERLANG. COLLEGA, SOC. OECON.
CAMERAL. ERLANG. SODALE.



ERLANGAE, 1816.

VENDITIONEM CVRANT PALM et ENKE.

Die drei heiligen Offenbarungen der Menschheit sind Natur, Vernunft, Geschichte.

JAHN.
(*Deutsches Volksthum*, p. XIX.)

PRIMAE LINEAE HISTORIAE POLITICES.

§. 1.

Quicunque cognitionibus humanis promovendis operam navarunt, duabus iisque diversissimis viis ingressi sunt. Alii res singulas, utut casus obtulerit, ab omni parte disquirere et illustrare, alii vero altiora fundamenta, quibus singula sustineri sentiunt, progrediendo ad rerum principia, eruere student. Horum opera doctrinae gignuntur, et quae quisque meditando invenerit, certo loco condita posteris traduntur; illi ad vitae usum plus conferunt. Quemadmodum vero homines ad hunc illumve agendi modum amplectendum diversa ingenii indole adducuntur, ita rerum quoque status nonnihil habet momenti. Quo enim singularum conditionum vicibus gravius adficimur, eo minus, qui cuncta ex editiore loco contemplari adgrediamur, sumus idonei et propensi, eoque facilius nostrarum dierum turbinibus nos abripi patimur. Idem praeci-

pue in rebus civilibus observamus. Qùum enim homines spe metuque praesenti civitatis conditioni alligentur, ea vero tam crebro mutetur, ut leviter intuenti vix firmum quidquam ac stabile adpareat; complures, factis unice credendum rati, omnem politices theoriam una cum imperfectis eius condendae conatibus prorsus reiecerunt, idque quam maxime recentissimis temporibus, quippe quibus nihilominus ad eandem doctrinam excolendam haud parum opportunitatis inesse videtur. Multos nimirum antea errores commissos, ineptam aedificio exstruendo materiem congestam, infirma eius fundamenta iacta, inter omnes constat; vita autem, quam gentes universumque humanum genus vivunt, intelligi coepta, et quo confertiori serie facta transierunt, eo acrius summi cuiusdam principii desiderium ortum est.

§. 2.

Cui rei quantum ex historia notionum politicarum, si iamiam exculta esset, accederet commodum, facile perspicitur. Quodvis aevum praeteritis nititur, iisque cognitis clarius quoque cognoscitur. Nexus iste, qui inter res externas ac hominum opiniones intercedere solet, nobis quodammodo perspicuus foret,

foret, unde non historiae solum generis humani, sed disciplinae quoque politicae maximum fluxurum esset incrementum. De quibus plurimi cuiusvis temporis sapientes consenserunt, eae res gravem veri suspicionem prae se ferunt; quae ex ima ratione prodeunt, ideoque cuique coetui civili necessaria sunt, ab aliis, quae singuli cuiusdam status commoda spectant, mutatoque eo mutatione quoque indigent, illius historiae ope distinguemus, nec non ab stolida illa aevi nostri nimia aestimatione, quasi antea nil prudenter esset dictum et scriptum, nos vindicabimus. Priscorum denique libri argumenti politici nondum adeo, quin plurima ex iis meditationum instituendarum materies promi queat, sunt perlecti atque exhausti.

§. 3.

Quum iam *Aristoteles* de ingenti opinionum circa res civiles diversitate conqueri potuerit [1]), quantus hodie in iis colligendis, digerendis atque recensendis labor est ponendus! Scriptorum varii generis, quibus cunctae istae opiniones continentur, magna est moles. Nec historiarum libri ad hunc finem praetereundi forent; in una forsan *Thucydidis*, *Taciti* aliorumque pagina plus frugis quam

in politis quibusdam commentariis methodice concinnatis deprehenderes. Eo maiorem operam adhiberi oportebit, quod hucusque politices historia penitus ferme neglecta est. Dum vero civilis prudentia, dispersis partibus suis, firmis fundamentis carens, parvi admodum aestimabatur, quomodo aliter evenire potuit? Historiae literariae scriptores bibliographiam tantum politicam exhibuerunt [2]); alii, licet magis periti, eorum vestigia sequuti sunt [3]); raro aliquis antiquorum scripta perlegenda sibi proposuit, vix unus aliusve singulum eiusmodi argumentum pertractare operae pretium duxit [4]). Quae quum ita sint, nonnulla quaedam, ad conditionem civilis doctrinae in genere spectantia, ideoque ex scriptoribus magis methodum quandam amplexis haurienda, quasi materiem exiguam amplissimi operis, his, quae sequuntur, conferenda suscepi.

1) Ethicor. ad Nicomach. I, 3. — 2) V. c. *Stolle*, Historie d. Gelahrth. P. III. c. V. *Morhof*, Polyh. T. III. Lib. II. p. 9. sq. — 3) *Gabr. Naudé* († 1653), bibliographia politica. Venet. 1636 et saepius deinde, noviss. Halae 1712; libellus maioris longe eruditionis quam consilii, in quo neglecti politices termini imperfectam eius conditionem clarissime demonstrant. *Herm. Conring* († 1681) in Cap. XIV. praestantissimi libri de

de civili prudentia brevius rem attigit. — 4) Primum locum obtinent, quae celeberr. *Heeren* (kleine histor. Schr. II, Nr. 2. p. 151. Gott. 1805.) circa disciplinam reip. constituendae collegit; *Zachariae* (Wiss. d. Gesetzgeb. p. 80—116. Lips. 1806.) legum quoque, ut dicunt, positivarum historiam intexit; *Hugo* autem (Lehrb. des Naturrechts, §. 9. sq. edit. III.) re vera eam tantum partem tradit, quam *Iustizpolitik* vocamus.

§. 4.

Politices vox adeo diverso sensu sumta occurrit, ut, nisi propius definiatur, deterrima aeque ac honestissima ad eam referri queant. Secundum derivationem plerumque quidem de rebus civilibus (id quod significat, rem, sicut plurimos alios vitae excultae fructus urbibus liberis deberi [1]), sed nec eadem semper ratione intelligitur. Apud Graecos politice universam remp. et constituendam et gubernandam complectebatur, quod nobis vox *Staatslehre* significat [2]). Recentiorum autem plurimi, quia principia vitae civilis ex ratione nostra haurienda ad scientiam iuris naturalis referunt, politicae nil nisi modos, quibus singulae resp. ad statum cum ideis congruentem adducantur, relinquunt exponendos, quod nobis vernaculum *Staatskunst* seu potius

Staats-

Staatsklugheitslehre audit. Sunt denique, qui tantummodo res civitatum externas, toga sagove conficiendas, politices argumentum existiment, id quod vulgo usitatum videtur. Abusus vero regiminis publici illam forsan significationem magis extensam genuit, qua haec ipsa vox omnem prudentiam scopi cuiusque prosequendi denotat, immo honestàti opponitur, cuius rei prima vestigia primo in turbis Gallicis circa a. 1568 reperiri traditur [3]), atque tantum etiamnum superest, ut nonnulli privatam ac publicam politicen constituant, quum tamen illa nullo modo hac dénominatione insigniri debeat.

1) Conf. meine Preisschrift über das Zunftwesen, p. 14. (Leipz. 1816.) — 2) Ceteroquin *Graeci* ipsam doctrinam potius νομοθετικὴν adpellarunt, atque πολιτικῆς nomine artem illius exercendae insignivere. — 3) Teste *Thuano.* Conf. *Hertii* elem. prud. civ. §. 4. paed. praem. Ex *Leonis Allatii* verbis apud *Du Cange* (glossar. med. aevi. T. III. p. 345. s. v. Politic.) adductis constat, meretrices adeo πολιτικῶν nomine innotuisse!

§. 5.

Secundum primariam istam, qua Graeci uti consueverunt, significationem *politice* s. *prudentia civilis* est *scientia vitae civilis ad ra-*

tionis

tionis normam recte instituendae. Quod tamen neutiquam ita accipiendum, quasi ex sola ratione, spretis omnibus aliis subsidiis, regulae politicae promi debeant; sed finem non externum ac praetereuntem, necessarium potius ex ideis profluentem ideoque rerum naturae maxime congruum nostrae disciplinae fundamenta praebere, illis verbis exprimitur.

Praeter haec summa rerum gerendarum praecepta, quae *philosophia* exhibet, altero adhuc fonte politice indiget, ita ut alterutro neglecto nil nisi mancum quoddam et usu carens aedificium evadere possit; *historiam* puta, experientiae cumulatos thesauros porrigentem. Quemadmodum enim, ipsa non considerata, subsidiis, quorum ope perfectae civitatis exemplar quodammodo assequamur, omnino sumus destituti, ita, si hac sola simus instructi, quaenam societatis civilis conditio optanda, quae abominanda, quae iuris praecepta in omni re observanda, penitus simus ignoraturi [1]). Immo confluentibus demum his duobus fontibus, ac sese mutuo adiuvantibus et confirmantibus, debitus politicae accedet honos. Praeclari certe isti, quos solam historiam sequutos contendunt [2]), *Aristoteles*, *Bodinus*, *Montesquieu*, ubique fundamenta ethi-

ethica posuerunt. Hinc quoque politices in *puram* atque *adplicatam* (*reine* und *angewandte Staatslehre*) divisio maxime necessaria est censenda [3]. — Quatenus ex naturali, quam vocant, philosophia ad civilem adplicata nostrae disciplinae aliquid utilitatis proventurum sit, posterum tempus docebit. Quendam vero rerump. cum singulis organicis naturis esse parallelismum, quis est, qui neget? Cavendum tamen magnopere, ne, omittentes utriusque diversitatem, historiae generis humani schemata quaedam et divisiones, quae ex ea probe considerata evolvenda forent, potius aliqua vi obtrudamus.

1) Quod bene iam monuit *Paolo Paruta*, della perfezzione della vita polit. I, p. 70. Probe *Boxhorn.* (instit. pol. I, 1. §. 6.): „*Scientia* „facit, ne in rationem, cuius perpetuus in Rep. „usus est, *usus*, ne in hanc aut istam remp. „et haec aut ista eius negotia peccemus. — 2) *Io. Müller*, sämmtl. Werke. VI, 347. — 3) Quam plures optimae indolis scriptores sunt amplexi. Conf. *Bensen*, Grundriſs d. Staatsl. I, §. 8. *Behr*, Syst. d. angew. Staatsl. I, §. 1, *Mehmel*, reine Staatsl. I, §. 44.

§. 6.

His praemissis, priusquam ad ipsam historiam accedamus, universae politices conspe-

spectum parva tabula descriptum adtulisse iuvabit.

I. Politice pura (*Staatswissensch.* sensu proprio).

II. Pol. adplicata s. empirica.

1. Propaedia, originem civitatum historicam atque periodos vitae civilis tradens [1]).

2. Disciplina reip. constituendae.

3. — — administrandae, ubi agitur

a) de forma administrationis civilis in genere duobusque eius modis, legibus nimirum et condendis et exsequendis;

b) de singulis salutis publicae partibus promovendis, quae administrationis materiem efficiunt. Huc referas:

α) educationem civium publica auctoritate moderandam (*Volksbildungssorge*, *Volkserziehung*),

β) opes eorum augendas (*Volkswohlstandssorge, Nationalwirthschaft*),

γ) securitatem adversus pericula interna (*Iustiz*, *Polizei*) et externa (*Politik des Krieges*, *der Verhandlungen*) vindicandam,

δ) sub-

δ) subsidia regimini publico subministranda (*Staatswirthschaft*, *Finanz*) [2].

1) Huic parti, cuius maximam utilitatem existimem, iam *Platon* et *Polybius*, *Goguet*, *Montesquieu*, *Meiners*, *Lévesque*, *Heeren*, *Stuhr* etc. materiem congesserunt. — 2) Circa omnem hanc divisionem scriptores haud parum inter se discrepare constat; consulas quaeso *Schlözerum*, *Vossium*, *Sonnenfelsium*, *Behrium*, *Krugium*, *Sodenium*, *Wagnerum* et alios.

§. 7.

Sunt nonnulla scientiarum argumenta, ad quae investiganda cuncti homines ingenio acuti pari stimulo incitantur; omnibus e. g. mysticis occulta vis inest, cogitationes alliciendi, idque eo magis, quod in iis ad latum figmentorum campum pervagandum multa nec eruditione nec meditatione opus sit. Sunt alia longe difficiliora accessu; quae enim cuique prae oculis versantur, omnibusque pariter fere cognita sunt, ea primo indigna iudicantur, quibus opera adhibeatur, donec aliquis, observatis eorum vicibus et multa experientia fultus, arctiores meditandi fines ingredi conatur. Quod quidem plerumque externo quodam impulsu solet effici. Quae omnia in civili doctrina locum habent. Ea non prius, quam traditis nonnul-

lis

lis gentium historiis, quia per unius hominis vitam minus experientiae colligitur, et iactis practicae philosophiae fundamentis exoriri poterat. Quare quum harum cognitionum peculiarem alicuius temporis rationem nec non stimuli illius ex vita externa accedentis naturam perspectas habemus, *quando* et *cuiusmodi* initia politices exstiterint, ex ipsis eorum causis colligere valemus.

In regnis Asiae despoticis utramque conditionem plane deficientem cernimus. Inter arma, metum, violentas easque crebras mutationes exiguum literarum prosequendarum studium, nulla familiarum seorsim viventium et aemulatio et conspiratio, nullus publicarum rerum amor [1]). Fervidum hominum ingenium fictitia pro veris arripit ac posteris tradit; maximum miseris solamen religio, cui, quae forsan de statu publico emendando excogitantur, sedulo intexuntur, sed libera meditatio deest. Una continuo existens regiminis publici forma nil disquisitioni relinquit, nec dominus patitur, subditos perscrutari, cur et in quantum servi sint. Hinc et vere eruditi, si qui fuerint, ab hisce rebus abstinere cogebantur. Nec ideo in lucem ibi editum invenies quidquam nisi singula praecepta, regnantibus quidem satis gravia, sed ad difficiliora civilis doctrinae non

spe-

spectantia. Propterea nec libri, quos magnus ille *Zerduscht* et asseclae eius composuisse dicuntur, nec *Bidpaii fabulae* et *liber regius* (*Humajun-Nameh*) ex his conscriptus ad nostrum institutum proprie referendi. In borealibus contra gentibus, ubi pro libertate recte temperata ferocitas regnabat, laxum societatis vinculum literarum soporem immutatum conservavit. Nihilominus ex utroque loco cultior posteritatis conditio adiumenta sumsit. Varia instituta, ad vitae quidem perfectionem necessaria, vix tamen, nisi ab aliquo potentissimo, cui nullus resistere conatur, in usum vocari possunt; semel orta facili negotio imitationis vi propagantur. Ita factum, ut *Persae*, *Aegyptii* etc. interdum in eiusmodi rebus liberarum civitatum magistri evaderent. Boreales vero inexhaustum animi corporisque vigorem ideoque acerrimum libertatis studium contulere. Haec elementa ad *Europam* excolendam conspirarunt, et adeo cuncta versus eundem finem tendentia cernimus! Nullo vero tempore locoque homines ab omnibus simul partibus excelluisse videntur, quasi summae perfectionis idea, quam ratione concipimus, singulis tantum momentis in vitam exire atque adparere queat.

1) Dans

1) Dans l'accord du despotisme il y a toujours une division réelle: le laboureur, l'homme de guerre, le négotiant, le magistrat, le noble, ne sont joints que parceque les uns oppriment les autres sans résistance, et quand il y a de l'union, ce ne sont pas des Citoyens, qui sont unis, mais des Corps morts ensévelis les uns auprès des autres. *Montesquieu*, considérations, Ch. IX.

§. 8.

Quum tot causis diversis confluentibus opus fuerit, ut civilis sapientia origines caperet, ipsa secundum illarum vices crebro non commutari non potuit; quare eius historia magis quam aliarum disciplinarum et implicita. Eo plus vero utilitatis quoque inde hauriendum. Demonstrari mimirum debet, quam singularis quilibet modus vitae civilis aut cogitationum instituendarum in illam exercuerit vim. Plurimum semper ex regnante eruditorum methodo aut inclinatione pendere videmus. Modo theologorum dogmata, modo argumenta ex utroque iure sumta, modo, temporis genio id ferente, mystica inepte considerata immiscebantur, quae vero persuasione non omnino vituperanda de certis civitatum periodis natura definitis, hucusque vero incognitis nitebantur [1]). Qui syste-

systemate aliquo philosophiae imbutus ad politicem accedit, aliter sane quam is, quem historiarum peritia vel negotia publica peracta ad eandem adducunt, illam pertractabit. Idem existimandum, si qua aetas magis ad alterutrum fontem propensa sit. Quo magis enim philosophiae tribuitur, eo prolixiori opera exemplar civitatis omnibus partibus absolutae illustratur atque politur, idque tunc maxime fieri videtur, quum status praesens externus adeo infaustus est, ut desiderium amissae felicitatis absque spe eius recuperandae animos ad idearum contemplationem convertat et inde solatium hauriat. Laetioribus autem rebus rariores ii, quos barbare *idealistas* vocant, reperiuntur; regulas singulae civitati adaptatas edere et patriae consulere complures malunt; tunc omnia fere usui propiora. Neque vero semper inter eruditorum commenta atque ea, quae civitatibus acciderunt, coniunctio pariter firma intercedit; saepe enim illi, sui temporis incurii et ignari, prioris cuiusdam genium amplectuntur.

1) Conf. *Paruta*, discorsi politici, I, 11. p. 169. — *Io. Bodinus* v. c. numeris Platonicis, constellationibus etc. multum operae impendit. De rep. IV, 2. Multa eiusmodi fide accipiebantur, sed ani-

animo altiorem quam hominum vim praesagiente confirmabantur. Tempus iam praeteriit, quo cuncta haec, ingenio non penitus perspicienda, omnino ridicula et anilia iudicabantur.

§. 9.

Graecos itaque veros politices genitores exstitisse, non est quod miremur; cunctae enim causae conspirantes eos ad istam disciplinam excolendam adduxerunt. Plurimum eos literis, ingenii acumine praevaluisse, satis inter omnes constat. Accedit, quod populari imperio aut seorsim existente aut ceteris rerump. formis admixto animos omnium civium ad res civiles vertente, meditationes atque disceptationes huius argumenti ubique libere nec raro publico detrimento instituebantur, ac crebrae commutationes, et, quod longe gravius, diversissimae toto coelo civitates exiguo spatio coniunctae, quas brevi peregrinatione contemplari licebat, quaestiones politicas usitatiores atque vitae externae propiores reddebant. Graecorum et Romanorum tempora *primam* in historia politices *periodum* constituere videntur. Primi ad eam philosophi adgrediebantur, etsi historiae apprime gnari; hinc civilis doctrina cum ethica arctissime coniuncta, ideis fundata est, Graecique

cique suis principiis aeque candidis ac rerum naturae convenientissimis omni posteritati magistri exstitere. Constituendae necessario maiorem curam quam administrandae reip. impendebant; haec enim a singulis magistratibus, non altiori cuidam, sed populo potius aut senatui subditis, peragebatur, nec ideo facile multa arte emendari poterat, quare scriptores alias eius partes penitus negligebant, alias non nisi propter formam regiminis adtingebant; sola educatio maximi pendebatur.

Ex quo *Thales* primus animum immortalem edixerat, *Socrates* demum ad ethicam accessit, atque civilium quoque rerum admodum peritum se praebuit [1]). *Platonem*, illum hac in re sequutum, nostrae disciplinae genitorem iure dicimus. *Xenophon* oeconomiam tantum publicam privatamque attigit [2]); *Aristotelis* haud minora fere quam praeceptoris merita. Aliorum scripta deperdita dolemus ut *Zenonis* [3]), et *Ciceronis* de rep. Libros VI, cuius nec de legibus commentarius integer ad nos usque pervenit; tamen in fragmentis praeclaram, praecipue circa ius naturale ratione ipsa constitutum ideoque aeternum, cognitionem observare licet, quam posteros Romanos scriptores incorruptam haud conser-

servasse constat. Orationes duae, *Crispo Sallustio* vulgo adscriptae [4]), et *Apollonii Thyanensis* regulae politicae [5]) consilia singulo rerum statui adaptata doctrinaeque aliena continent. *Plutarchi* († 135. p. C. n.) quoque libelli complures, qui inter moralia exstant, etsi varia minime spernenda habeant, magis tamen ſuadendi et admonendi quam vera eruendi animo compositi sunt. Praecipuus eorum iuveni remp. capessituro consilia exhibet, personae potius quam rei habitum spectantia [6]).

1) V. c. in faceta et sagaci cum *Glaucone* confabulatione, quam *Xenophon* adfert. — 2) Liber πόροι ἢ περὶ προσόδων inscriptus de reditibus reip. Atheniensis agit, atque praesertim servos publicos in argentifodinas locari (Cap. 10), hominum copiam opesque augeri (I. 4. et 6.) suadet etc. Germane vertit *Zinke* (Wolfenb. et Leipz. 1763), cuius vero illustrationes non omnino probandae. — 3) de *Zenonis* πολιτεία conf. *Plutarch.*, symposiac. III, T. VIII. p. 593. ed. *Reiske*, et *Fabric.* ex ed. *Harles*. II, 41 5 — 4) *Harles.* introduct. II, 243. — *Philostrat.* in vita *Apollon.* V, 36. — 6) Πολιτικὰ παραγγέλματα, ad amicum *Menemachum*. Opp. T. IX. p. 185. *Reisk.* Praeterea περὶ μοναρχίας καὶ δημοκρατίας καὶ ὀλιγαρχίας, atque ἐι πρεσβύτερῳ πολιτευτέον.



§. 10.

Platonis πολιτεία, de qua semper hominum opiniones magnopere discrepabant, magis ad morum quam ad civitatis doctrinam vergere videtur, atque valde errant, qui censeant, auctorem, quod exemplar perfectae civitatis ibi depictum usui non conveniens animadvertisset, aliud minus fictitium in νόμοις exhibere constituisse. Quum enim homines penitus ingenio excultos nec non summo animi candore praeditos ponimus, omni politice vix amplius est opus. Eiusmodi status, sicut ille primaevus, quem mythi diversarum gentium describunt [1]), quasi extra tempus versatur, nec ad praecepta agendi inde haurienda usui est; nostra vero disciplina intermedios inter utrumque status, quos solos historia attingit, sibi proponit. In Platonica rep. id praecipue, ut praesens conditio immutata conservetur, contendi debuit; hinc factum, ut rectae educationi tantum tribueretur. Quamvis vero *Morgensternio* [2]) concedamus, primarium auctoris finem in virtutis (hoc enim δικαιοσύνη ibi denotat) natura illustranda constitisse, tamen, quin delineatio vitae civilis perfectae atque beatae ex ima eius mente prodierit eique gravissima fuerit, non est quod dubitemus, quod vero eius con-



consilium alii fictarum rerump. scriptores, excepto forsan summo *Montesquieu* [3]), nullatenus perspexisse videntur. — Proprie ad nostrum institutum spectant *νόμοι*, secundo loco Epinomis, Politicus, Minos. Politices secundum Platonem est, exponere, quomodo homines in coetu civili ad summam generis sui perfectionem s. ad dei similitudinem adducantur. Princeps et magistra constituitur *ratio* (Leg. I.), vi tamen fatorum superiori non praetermissa [4]). Salus publica ab ipsa virtute non differt (Leg. III.); analogia singuli hominis cum tota rep. ubique conspicitur. Plura occurrunt, quae leviter intuenti paradoxa vel adeo absurda videantur, quae vero ex universi operis genio, considerata praeterea temporis, quo Plato vixit, indole, facillime defenduntur. Sententia veterum de opibus in rep. tolerandis, de artibus, mercatura et luxu coërcendis, ab hodierna rem considerandi ratione admodum diversa, in Platone quoque clarissime elucet, quam vero ex causis suis illustrari, hic constituti operis fines non patiuntur [5]), quemadmodum et alia aeque gravia praetereunda sunt.

1) Leg. III. Resp. II. Politicus. *Fichte*, Grundz. des gegenwärt. Zeitalt. p. 4. sq. *Stuhr*, Unterg. d. Naturst. p. 113. *Wagner*, Staat, p. X. et

 §. 284.

§. 284. — 2) de Platonis rep. Comment. III, §. 1. 2. Conf. *Buhle*, Gesch. der Philos. II, §. 233—35. — 3) Resp. troglodytarum in eius lettres persanes, T. I. — 4) —' ως ὀυδεὶς ποτὲ ανθρώπων 'ουδὲν νομοθεταῖ, τύχαι δέ καὶ ξυμφοραὶ παντοῖαι πίπτουσαι παντοίως νομοθετοῦςι τὰ πάντα 'ημῖν, addito tamen, ne omnino operam hominum vanam putemus, τούτοις δεῖν ἕπεσθαι τέχνην. Leg. IV. — 5) Leg. IV, V, VIII. Confer *Aristot.* politic. III, 3. VII, 5. 8. 9. *Cicero*, de offic. I, 42. *Plutarch.* Themistocl. *Giphan.* ad Arist. pol. p. 116. 117.

§. 11

Aristotelis multo sane maiores forent laudes, nisi complures eius libri, atque inter eos praestantissimum opus, πολιτεῖαι, temporum iniuria deperditi essent [1]). Ipse eatenus cum *Conringio*, *Achenwallio* et *Schlözero* conferendus est, qui pariter politicae et statisticae (veniam verbo!) perficiendae praeclaram inter aequales operam navaverint, quarum etiam mutuo sese iuvantium maxima est utilitas.

Stagirita quidem ubique in libro, quem servatum gaudemus, ethica praecepta constituit, tamen pro ferventi et quidem poëtico interdum praeceptoris ardore crebriorem historiae usum adhibet, sedata meditatione progreditur, sese cautiorem atque, stricta methodus

dus ut observetur, diligenter curantem praebet, pluraque singula bonae frugis profert, dum in Platonis libris summus scopus cuncta validius penetrat. In Aristotele Graecorum tunc viventium mores, opiniones, instituta, vel ipso invito velut in speculo possunt conspici.

Quae ex eius mente politices ad ethicam sit relatio, qua de re acriter disceptatum est, ita exponi potest: *Politice* duplici sensu sumitur. Latiori ipsa omnem practicam philosophiam significat, cuius partes ethica, politice proprie sic dicta et oeconomica sunt[2]). Moralis igitur et civilis philosophia, ex iisdem principiis exstructae sibique coniunctissimae, ita tamen differunt, ut illa cuique singulo homini praecepta exhibeat, haec vero ope legum et externae vis ea observanda curet[3]); idem ergo utriusque scopus, cui cuncta subiiciuntur. Argumentum operis ex hoc conspectu patebit[4]):

I. Elementa, quibus civitas constat, societas nempe herilis, coniugalis, parentum et liberorum, considerantur, ac analogia illa a *Platone* nimie extensa vituperatur. Hic observandum, apud veteres agnationes atque statum familiae maioris pensi fuisse, hominumque ordines hoc primum fonte ortos esse[5]).

II. Se-

II. Sequitur (L. II.) propaedia historico-literaria, clarissimas istius temporis civitates atque nonnullos de eadem re scriptores contemplans, ex quibus *Phaleae* et *Hippodamae* scripta ad nos usque non pervenerunt.

III. Principia reip. generalia traduntur, puta

1) de eius necessaria origine, indole, scopo agitur (L. III. et VII. init). [6]). Homines quidem naturae impulsu (ὁρμῇ) ad societatem ineundam incitari; scopum vero eius summum in vita beata sibique sufficienti ponendum esse. Occurrunt quoque iuris naturalis, praesertim publici, semina quaedam (III, 6—8.).

2) resp. ex. voto optima secundum veterum sententiam depingitur (L. VII. VIII.).

IV. Diversae rerump. formae investigantur et regulae iis conservandis utiles traduntur (L. IV—VI.). Enumeratio, quam omnes fere recentiores quodammodo sequuti sunt, quibusdam laborat obscuritatibus [7]), inprimis propter varias significationes vocis πολιτείας, quam vero rem hic praetermitti oportet.

V. Administrandam remp. ex causis supra iam adlatis, si educationem civium excipias, in censum vocatam non invenies, nisi quatenus

tenus pro singulis regiminis publici formis ipsa diversa esse debeat.

1) Multa desiderantur; v. c. libri περὶ βασιλείας ad Alexandr. M., de quibus videas *Conringi* introd. in polit. Arist. C. V. p. 600. sq. C. IX. p. 642. *Fabric.* ed. *Harl.* III, 293. *Giphanii* Comment. p. 9. *Cic.* de finib. V, 4. et quod ad codicis mscr. fata adtinet, *Strabon.* L. XIII. p. 905. ed. *Amelov.* — 2) Ethic. ad Nic. I, 3. X, 9. *Piccart*, isag. in lect. Arist. C. XVIII. p. 167—80. *Conring*, civ. Pr. V, 93. *Buhle*, Gesch. d. Philos. III, §. 323. — 3) Ethic. X, 9. — 4) Conf. similes conspectus, quos ediderunt *Conring*, introd. C. VIII. et *Buhle*, III, §. 384. — 5) Perpendas v. c. φύλας Romanorum primum γενικὰς, dein τοπικὰς. *Sigon.* de a. i. civ. R. I, 3. — 6) Observandum, ordinem librorum hodiernum falsum esse, quod secundum *Ant. Scainium Conringius* demonstravit Introd. C. V. p. 600. — 7) Quibus iam operam navarunt *Barthélémy*, voyage, IV, 78. p. 173. et *Buhle*, l. c. §. 393.

§. 12.

Secunda periodus, medium aevum complectens, usque ad sec. XV. — Dum gravi sopore literarum studium opprimeretur, Graeci solum ac Arabes eius speciem aliquam conservarent, historiae philosophiaeque genii iamdudum discesserant, disceptationes de rebus sacris eruditos exercebant, politice nil om-

omnino proficiebat. Etsi nimirum scriptores veteres lectitarentur, tamen multum abfuit, ut profunda eorum sapientia merito in usum verteretur. Consilia hinc inde principibus data animi candorem, tenuem doctrinem indicant. Singula huc referenda eo tamen, ut temporum, quibus conscripta sunt, indoles perspiciatur, usui esse possunt, quorum praecipua haec videntur: *Agapeti*, diaconi Byzantini, qui *Iustiniani* antea praeceptor fuerat, ad eundem *capita* 72 *exhortationum* (*παραινετικῶν*) [1]. *Basilii Macedonis* imperat. *admonitiones* ad filium *Leonem* [2]. *Theophylacti*, archiepiscopi Bulgariae, *institutio regia* ad *Constantinum Porphyrogenitum* [3]; huius ipsius *Constantini* liber *de administrando imperio*, eo, quod relationes cum externis gentibus luculenter ibidem exponuntur, inprimis memoratu dignus [4]. Inter Arabes notissimus *Averroës*, acris *Aristotelis* sectator, nominandus [5]. Maioris ponderis est libellus incerti auctoris, *Thomae Aquinati* temere, ut creditur, adscriptus, in quo iam vestigia orientis denuo lucis conspiciuntur, et inter multos locos S. S. inepte adhibitos praeclara quaedam principia fulgent [6].

1) Liber sub nomine *schediae regiae* pluries editus. Elemosynae, clementia, misericordia principi

cipi enixe commendantur, cui (Arabem Persamve audire crederes) similitudo Dei adtribuitur; cuncta ex ethica Christiana sumuntur. — 2) Corp. Byzantin. T. XXII. p. 139. ed. Venet. 1729. fol. Παίδευσις, inprimis historiae studium, laudatur, avaritia vitanda, magistratus probe noscendi, ius recte administrandum etc. suadentur. — 3) Παιδεία βασίλικη (ib. p. 157.), scripta, dum Constantini adhuc minoris mater Maria regnaret, atque satis generoso animo, licet multa adulatio sit admixta. Comparatio tyranni et boni principis coloribus vividissimis depicta atque lectu digna. — 4) ad filium Romanum, capita 55. l. c. p. 45. Agitur de Patzinacitis (Petscheneger), Russis (ὁι Ρῶς), Bulgaris, Chazaris, Francis etc., multaque historiam illustrantia ibi occurrunt. — 5) Cordubensis, † 1206, qui summum humanae sapientiae culmen ab Aristotele iam adscensum sibi persuaserat. — 6) De rebusp. et principum institutione, Libri IV. Lugd. Bat. 1602. (quum omnes librorum editiones investigare et enumerare hic loci prolixius foret, eas semper allegabo, quibus equidem usus sum.) — Modo valde singulari dogmata Christiana, historica atque Aristotelica miscentur, nec auctoritatis sacerdotum promovendae studium valde occultum; tamen contra tyrannos multo cum ardore disputatur (v. c. I, 6. p. 32).

§. 13.

Tertia periodus. Exeunte seculo XV. variae causae iunctis viribus studium politices rur-

rursus accenderunt, ipsaque inde ad nostra usque tempora incrementa accepit continua, quo in tempore *tres* iterum partes distingui posse videntur.

1) ex *Machiavello* († 1527) usque ad *Conringium* († 1681).

2) ex *Conringio* ad postremum superioris seculi decennium.

3) ex *Schlözero* (1793) ad nostra tempora.

Sectio prima. Ars typographica inventa, Graeci capta Constantinopoli in occidentem fugientes, excitandis omnino ex gravi sopore ingeniis usui fuere; superstitionum nubes diffundi coeperunt, cunctae ferme disciplinae quaedam futuri floris germina emiserant. Plures quoque res propius ad politicas disquisitiones promovendas spectabant. Reformatio, quae vocatur, Christianorum sacrorum, homines, ut in omni superorum potestate originem, scopum, limites investigarent, creberrime commovit, praesertim quod principes istius temporis, vassallis in subditos conversis, maiorem multo potestatem exercebant.. Civitatum quoque intus magis firmatarum frequentius per legatos commercium, relationesque externae hinc ortae. Motus hinc inde conflati ad eundem finem tendebant. In Italia nondum penitus pacata ex statu urbium libe-

liberarum monarchicum imperium ubique fere evaserat. In Gallia Bataviaque vehementes saeviebant tumultus, religionis aut libertatis causa exorti; Anglia quoque intestinis laborabat dissidiis, quibus egregia paullatim regiminis forma gignebatur. In orbe recens detecto atroces, quibus indigenae adficiebantur, cruciatus iurium eorum defensores excitabant [1]). Quidni tantis ex causis aliquid in doctrinae utilitatem fluxisset? Eruditi tamen modo maxime diverso rem adgressi sunt. Scripta veterum, inprimis *Aristotelis*, haud paucos adeo vinxerant, ut eorum vestigiis inhaerere anxie ubique curarent, omnemque operam in illis illustrandis, interpretandis atque ad praesentem statum adplicandis ponerent; hinc factum, ut linguarum antiquarum periti prae aliis ad res civiles accederent, licet profundioris circa eas doctrinae prorsus expertes essent, nec ex suis ipsorum ingeniis aliquid praeter formam forte addere possent; alii, rei quidem magis gnari, tamen, quo minus propriam rationem sequerentur, nimia veterum auctoritate impediebantur. Inde plurimi libri orti, ex quibus summa rei parum aut nil fructuum percepit. Alii partium factionumque studio incitabantur. Quibus v. g. *Monarchomachi* adscribendi, recentibus Gallo-

rum

rum Iacobinis haud absimiles, immoderato ardore omne monarchicum imperium aversantes odioque acerrimo prosequentes [2]). Notissimus eorum *Stephanus Iunius Brutus*, s. potius, ut creditur, *Hubertus Languet* († 1581) videtur [3]); seriem claudit *Algernon Sidney*, funesto exitio clarus († 1683). Praeclara quoque non defuere ingenia, quae, non exstantibus principiis methodoque omnibus acceptis, peculiari via ingressi, et delectare simul et erudire cupiverint, ac modo fictas resp., modo facetas fabulas, modo symbola commentariis illustrata etc. in lucem protulerint. Cuncta tamen dispersa iacent, disciplina, si universum spectes, scholae quam vitae adhuc propior, materiei congestae quam operis iamiam conditi maior utilitas.

1) Ex his *Bartholomaeus las Casas*, episcopus Chiappensis, eminet. Ipse librum conscripsit: Utrum reges vel principes iure aliquo . . . cives ac subditos a regia corona alienare et alterius dominio particularis ditionis subiicere possint. Tubing. 1625. 4. Conf. *Grégoire*, apologie de L. C. Mémoires de l'instit. nat. pour l'an IV. Scienc. mor. et polit. Tom. I. pag. 45—75. — 2) *Buddei* histor. philos. Cap. VI. §. 32. — 3) Vindiciae contra tyrannos, s. de principis in populum populique in principem legitima potestate.

state. Praefatur alter pseudonymus, *Cono Superantius Vasco*, impuris, ut ipse fatetur, *Machiavelli* dictis ad edendum librum permotus. Prodiit primo Solud. 1517, tunc 1622. Francof. et saepius. Esse quoque subditis sua iura, argumentis praecipue ex S. S. haustis demonstratur, tyrannoque resistendum contenditur. — G. *Hornius* (orbis imperans. Lugd. 1668. p. 117.) huius libri auctorem *Philipp. Marnixium Dn. de S. Aldegonda* credit. — 4) *Mori* Utopia aliaque multa similia; *Barclaii* Argenis, *Saavedrae* symbola, *Boccalinii* fabulae etc.

§. 14.

1. Inter *Italiae* non solum, sed omnis orbis in hac periodo scriptores politicos longe eminet *Niccolò Machiavelli*, Florentinus († 1527 aut 1530), vir quam maxime hominum opinionibus discerptus, sed in historiae aeque ac politices profundis optime versatus. Etsi methodice rem non tractaverit, tamen multum eruditionis ex eo percipiendum, nec forsan hodie aliquis erit, qui ob dicta pravitatem summam prae se ferentia ipsius honestatem in dubitationem vocet; historiam vero sublimiori genio coli coeptam ei iure debemus [1]). Secundo loco ponendus *Paolo Paruta*, nobilis Venetus († 1599), qui unus Italorum [2]) res civiles in systema redigere adgressus est [3]); *Trajano* *Boc-*

Boccalini[4]) facetissime iocatus easdem attigit; *Luigi Septalio* singulum tantummodo argumentum illustravit [5]), *Cardanus* autem immerito huc refertur [6]).

2. *Ex Gallis*: *Petrus Gregorius Tholosanus*[7]) et *Iean Bodin*, *Andegavensis* († 1598)[8]), uterque immensa fere eruditionis mole ac candore animi pariter aestimandus. Etsi vero ambos nulli negligendos velim, tamen perfectior ab iis doctrina non tradita; exemplorum enim non satis digestorum et absque ordine enumeratorum copia quasi obruti ad altiora eaque simpliciora principia non pervenerunt. *Gabriel Naudé* (1600—1653), vir illis non minus eruditus, magnos errores, ad quos inconsiderato historiae usu devolvimur, suo demonstrat exemplo [9]).

3. Ex *Batavis*, ut *Grotium* taceam, quem in iure naturali multum praestitisse satis inter omnes constat, *Iustus Lipsius* († 1606) primo loco ab aequalibus ac posteris habitus, commentariis illustratus, pro arbitro creberrime adductus, tenuem, qua civilis prudentia laboraret, conditionem clarissime facit conspicuam [10]). *Marcus Zuerius Boxhorn* († 1613), longe quidem minus celebratus, sano tamen consilio ac profunda doctrina ei anteponendus vide-

videtur [11]. *Spinozae* libellus [12]) ex eius pantheistico systemate intelligendus.

1) Cuius „libri otto delle istorie Fiorentine" classicis veterum historiis iamdudum aequiparati sunt. Qua mente libellus „il principe" conscriptus sit, nondum satis patet; sed haud impuro certe consilio horridam tyrannidis speciem, nulla foeditate omissa, legenti depinxit. Quoad oppositas de eius fine opiniones conf. *Luden*, Handb. d. Staatsweish. I. §. 11. et praesertim *Conring* in praefat. ad suas animadvers. in Mach. princ. Helmst. 1661. 4. Pleni sapientiae et maximum pro auctoris probitate argumentum sunt egregii eius „discorsi sopra la prima deca di T. Livio", in quibus ipse quasi totius vitae suae fructus reposuisse fatetur, dicens: „In quello (libro) io ho espresso quanto „io so, e quanto io ho imparato per una longa „pratica e continua lezzione delle cose del mon„do". — 2) Quod ad ill. *Heerenii* dictum observari potest. Kl. histor. Schr. II, 154. — 3) Della perfezzione della vita politica. Libri tre. Venet. 1579. fol. Forma, sicut in Platone, dialogica; principia secundum Aristotelem tradita, ethica omnino cum politica confusa, quare de singulis virtutibus uberrime disseritur, tamen multa utilia atque sapienter dicta ex proprio auctoris ingenio addita. Solidam suam historiae cognitionem in alio libro, vulgo haud magis noto, ostendit, qui inscribitur: discorsi politici, nei quali si considerano diversi fatti illustri e memorabili de' principi e di republiche antiche

e

e moderne. Milano, 1620. — 4) Ragguagli di Parnaso. Venet. 1624. (Centuriae duae et dimidia). Pietra del paragone politico. Cosmop. (Amstelod.) 1726, continuatio prioris. Ficta in Parnasso resp. eruditorum, ab Apolline gubernata, ansam praebet, de rebus in vita sese obferentibus disserendi atque gravissima hac sub specie docendi, quare libellus lectu suavissimus. Praesertim in Hispanos, Italis summopere invisos, et tyrannos in genere salse luditur, quod ipsi quoque, ut fertur, exitio fuit. — 5) della ragione del stato, lat. ed. Lips. 1679. Ratio status significat apud scriptores istius temporis commodum reip. ex singulari eius habitu et rerum externarum conditione pendens. Qua vero voce adeo abusi sunt, ut cuncta honestati repugnantia ea tegere conarentur, ideoque *Boccalini* recte eam definire potuerit „una legge utile agli stati, ma in tutto contraria alla legge di Dio e degli uomini". — 6) Proxeneta s. de prudentia civili. Lugd. 1627. Politices ibi nulla mentio. — 7) de rep. Libri XXVI. Francof. 1609. 4. Liber ipsi Deo consecratus creberrime auctoritatem S. S. nec non ICtorum Romanor., atque saepius aliena ingerit; origo principatus ab Adamo derivata (L. XIX.); tyrannidem tolerandam affirmatur, quia cuncta in Dei manu sint (V, 3. §. 6.), etc. Tamen vix aliquid grave praetermissum desiderabis atque solidam haud raro sapientiam miraberis. Scopum reip. eundem ac singulorum hominum (V, 6. §. 10.), ac in bene vivendo consistere (I, 1. §. 10.) secun-

cundum *Aristotelem* demonstratur. — 8) La république. Par. 1577. lat. ib. 1586. fol., opus omni tempore laudatissimum (*Naudé*, bibl. pol. §. X. *Io. Müller*, sämmtl. Werke. VI, 347. 360). Vitia et laudes eadem fere ac *Gregorii*, quem tamen proprio negotiorum publicor. usu antecedit. Pariter ius civile omni modo immixtum, mystica saepius adducta. Finis reip. in virtutis quoque exercitio positus, sed vitae contemplativae nimium indulsum. Nonnulla, quae in eo observantur, v. c. quod mixtas rerump. formas reiecit, *Gregorio* potius accepta ferri deberent (V, 1). — 9) Les coups d'état. Par. 1648. latine una cum ipsius bibliogr. Hal. 1712. Arcana hic tradita varii doli sunt, ex historia conquisiti, et ex felici eventu defensi. — 10) Politicorum s. civilis doctrinae L. VI, qui ad principatum maxime spectant. Lugd. Bat. 1590. et saepius. Quid quaeso utilitatis concipiendum ex fragminibus scriptorum 82, multo sane labore collectis, interdum in alienum sensum detortis, atque paucis intextis verbis in libros et capita digestis? Ethica non secreta; proba quidem plerumque traduntur, nusquam autem nova aut profunda. Nonnulli tamen iampridem recte de eo iudicarunt, v. c. *Teissier* et *Scaliger*, atque *Boccalini* (Centur. I. p. 60.) lepide eum, quid valeat, Tacito confitentem adducit: „liberamente ti confesso, . . . che i' tuoi Annali e le tue Historie non sono lezzione da semplice Grammatico, come son' io". — 11) *Tractatus politici*, Amstel. 1663, in quibus

L. II. *institutionum politicarum* concinnum, bene digestum, summamque rei bene continentem recensum totius polítices praebent; tamen nimius iuris civilis usus liberiorem meditationem hinc inde impedivit. *Disquisitiones politicae* haud secus quam singuli casus in foro obvii traduntur; enarrato enim aliquo rerum statu atque in omnes partes perpenso, consilium additur, eventus docetur atque observationes adiiciuntur; pleraque sani consilii. — 12) Tractatus politicus, in opp. posth. Amstel. 1677. p. 275—354. Libello Colophon. non additus. Auct. ex Dei natura et existentia omnium rerum in illo ad peculiarem ipsi, a ceteris maxime recedentem iuris notionem pervenit, ubi quidem praecipua difficultas in libero quodam arbitrio cum pantheismô conciliando consistere videtur. Consilia ad remp. constituendam Platonicis similia.

§. 15.

4. Ex *Hispanis* unus eminet *Diego Saavedra Fdxardo* († 1648), vir candida mente atque solida publicarum rerum peritia nulli huius periodi secundus [1]).

5. *Thomae Hobbesii, Angli*, in ius naturale studia sat innotuerunt. Ipse, regimini monarchico addictus, non tam politica doctrina sua, quam statu naturali, quem est professus, disceptationes excitavit, nec hodie quoque cessaturas, nisi historica origo et necessitas ex

ex ratione profluens prorsus discernantur. *Mori* († 1535) *Utopia*, fabula satis lepida, magis delectare quam erudire videtur, quod de reliquis fictis rebusp. pariter adfirmari potest. *Algernon Sidney* [2]), ferventiori, quam vera indagantem decet, ardore accensus alteram tantum politices partem attigit.

6. *Germanorum* multi exstant et commentarii, scriptores antiquos illustrantes [3]), et systemata civilis doctrinae [4]), sed ante *Herm. Conringium* exigui plerumque momenti. Huius vero in hac re haud minora quam in aliis merita. Arbitratus enim, naturam ac fundamenta civilis doctrinae ab omnibus fere, qui eius systemata conscribere temere conati essent, levius iusto considerata esse, propaediam prius condendam cunctaque principia sedulo disquirenda sibi proposuit, quare ex eo demum politice ab reliquis disciplinis secerni, et, qualis vere sit, intelligi coepit. Plus sane, nisi nimium *Aristoteli* tribuisset, profecturus fuisset [5]).

1) Idea d'un principe Christiano, representada in cien empresas. Lat. Amstelod. 1651. Ordo operis ab auctore electus, quo minus scientia magis promoveretur, impedivit; cuncta nimirum ad seriem 101 symbolorum nectuntur, quibus principis vita ab primis, ut ita dicam, unguiculis usque ad senectutem illustratur. Quare

 reli-

reliquis regiminis modis parum curae dicatur, multaque omissa desiderantur; ethica quoque praecepta non secreta; librum autem propter dictorum praestantiam „speculum principis“ recte adpellares, id quod in antiqua versione germanica factum est. — 2) Discourses concerning government. Lond. 1704 et saepius; germanicam epitomen composuit c. *Jacob* (Erf. 1795.); auctor 1683 supplicio adfectus. Opus adversus *Filmerium*, tyrannidis defensorem, vehementer pugnans ideoque iusto ordine non digestum, libertatis ubique quam acerrimas laudes continens, sedatae doctrinae minus grave. — 3) Quemadmodum in *Forstneri* notis politicis ad Tacitum (Lugd. B. 1650. 52), exempla potius copiosissima et regulae generales, quam illustrationes locorum Taciti adferuntur. — 4) Librorum huiusmodi sibi similium nonnullos solummodo nominare sufficiat. *Henningi Arnisaei* doctrina politica. Lugd. Batav. 1643. Ordo et summa rei ex Aristotele omnino sumta, multa eruditio, ingens logices recte adhibendae studium, bona inter vana dispersa. *Geo. Schonborneri* politicor. L. VII. Amstelod. Elzev. 1650, liber priori utilior multo. Etsi communia aequalibus vitia non vitata, tamen sanior vitae, ut comparata est, ratio habita, ut immo multa iuris publici Germanici capita intexta sint, nec quidquam fere omissum. *Arnold. Clapmar*, de arcanis rerump. Lugd. Bat. 1644. Artium cuique reip. formae convenientium uberrima collectio; sed nullatenus omnes recte atque ex

iis-

iisdem principiis diiudicatae. Adiecta *Chr. Besoldi* de eadem re dissertatio etc. — 5) De civili prudentia (Helmst. 1662. 4.). Non ipsa docetur, sed viae ad eam ducentis tolluntur difficultates. Politicen singularem disciplinam, sub ulla alia minime comprehensam, primo asserit, eius et ethicae, oeconomicae etc. terminos constituit (Cap. 3—6.), prava nonnullorum consilia reiicit (C. 1. 2.); tum ipsam minime εμπειρικὴν tantummodo esse, nec analogia solum et inductione niti (7.), sed firmis principiis philosophicis gaudere, ideoque, quia naturae leges non mutentur, quadam hypothetica saltem certitudine frui (8. 9.) contendit. Deinde methodus eius addiscendae docetur (10—13). Omnia contenta probe exposita, et quatuor philosophorum causae facili negotio nostro sermone verti possunt. Causa enim efficiens *originem* civitatum, finalis *scopum*, materialis *naturam* et *partes constituentes*, formalis *modum constituendae reip.* continet. Politica quoque proprie 'ακροαματικὴ ab πρακτικῇ sapienter discernitur.

§. 16.

Sectio secunda. Ab eo inde quod perlustravimus, tempore per seculi XVII. partem et totum ferme XVIII. methodum politices tractandae commutatam videmus. Quum enim principia vitae civilis ad scientiam iuris naturalis paullatim valde auctam conferrentur; nec

nec certus constaret illius atque politices nexus, haec altiori fundamento destituta, ab philosophiae coniunctione reclusa, solam experientiam ducem retinuit. Meditationes, generalem partem spectantes, omittebantur; pro ampliori de scopo reip. disquisitione salus publica, vox minime quidem satis lucida ac definita, temere proponebatur. Pauci erant, qui priorum tramitem sequentes multa lectione atque eruditione civilem sapientiam sibi comparare, comparatam deinde tradere tentaverint, velut inter nostrates *Hertius* [1]) et *Hofmann* [2]). Plurimi negotiorum potius publicorum peritia fulti ad politicen pertractandam sese adcinxerunt. Inde non profundior quidem doctrina, sed eiusmodi tamen orta, quae ad vitam utilior ac usui esset propior. In Germania, id quod eodem vergit, vernaculo sermone scribi coeptum, et primus, de quo haec omnia optimo iure possunt praedici, quasi huius periodi primipilus, *Vitus Ludovicus de Seckendorf* [3]) censendus est. In administratione quoque publica circa hoc tempus multum proficiebatur. Exhaustae gravibus bellis civium opes, sumtus publici ob crebrius principum et civitatum commercium, militem perpetuum aliasque causas valde aucti, acriorem de ea re curam excitarunt, quare

quare ex partibus quibusdam politices huic fini servientibus et disciplinis nonnullis auxiliaribus aliquis cyclus s. complexus doctrinarum congregabatur, quem *scientiae cameralis* adpellationem accepisse constat. Sumtus et reditus publici eius primariam materiem praebuere; alia, sensim sensimque perpendi coepta, illi adiiciebantur. Iuris tantum administrandi et sacrorum cura publica et res civitatum externae, quae omnino seorsim a suis magistratibus absolvi solebant, ad illam non recensebantur. Singulae partes, prout cuique aut magistratus susceptus, aut alia quaedam opportunitas ansam praebebat, maximo interdum studio excolebantur, praecipue vero ea, quae ad oeconomiam publicam spectant, in quibus *Britanni*, amplae mercaturae conspectu commoti, multa praeclara praestiterunt [4]). Systema illud, quod *oeconomicum* s. *physiocraticum* vocant, quasi solidioris doctrinae prodromum dicerem. Licet enim falsis quibusdam propositionibus nitatur, atque abstrahendo semper et distinguendo a veri via haud semel avertat, tamen sublimior politicae adspiravit genius, perscrutatio multo quam hactenus sagacius producta, et sterile solum progressibus mox accessuris recipiendis praeparatum est. Quae hoc tempore philosophica

pars

pars, iurisprudentiae naturali adhaerens, nacta sit incrementa, quae sagacissimus *Locke* [5]), cui nullus forsan huius periodi in ea re comparandus, quae *Pufendorf* aliique, et postremum *Rousseau* protulerint, hic ob spatii angustos fines iure praeterimus. Circiter postremas prioris seculi decades multa in singulis partibus divulgata erat lux; cuncta quasi proprio nisu versus se invicem tendebant, nec deerant viri, qui iis in unum coniungendis operam darent [6]); tamen firmum aliquod vinculum nondum accesserat.

Unus superest vir, politicus seculi XVIII. facile summus, qui exemplo suo etiamnum animos accendit, nec vero ex aevi sui solum conditione, sed ex insignibus potius cuiusvis temporis eruditis genitus esse videtur, *Carolus* scil. *de Secondat, liber Baro de Montesquieu* († 1755). Multa quidem in eius scriptis occurrunt, quae vituperanda sunt; multa levius iusto absoluta, nullus vero ipso melius veram, qua politice perficiatur, rationem, rectum historiae usum, principiorum cum singulis rebus coniunctionem demonstravit; nullus pari vi in eos, qui deinde floruere et adhuc florent, scriptores gaudet [7]).

1. Elem.

1) Elem. prudent. civil. Franc. 1703. *Aristotelis* maxima adhuc ubique auctoritas, attamen liber non contemnendus atque eo, qui sequitur, longe melior. — 2) Politische Anmerk. v. d. wahren u. falschen Staatskunst. Hamburg. 1740. Prima editio latino sermone prodiit Ultraj. 1733, quam visere nondum mihi licuit. Parum hic iudicii. — 3) 1622—1692. Liber, qui inscribitur: d. teutsche Fürstenstaat, saepius usque ad a. 1754 excusus, ac satis notus, ad summum magistratum (Minister) ab omni parte erudiendum compositus est. — 4) Quorum nonnullos afferre sufficiat. *Stewart*, *Hume*, *Smith.* Ex nostratibus huc ponendi *Schröder*, *Iusti*, *Sonnenfels*, *Büsch* aliique porro. — 5) † 1704. Treatises of government. Lond. 1690. gall. Amst. 1691. (absque auctoris nomine). — 6) V. gr. *Wolff* (vernünft. Gedanken v. dem gesellsch. Leben. VI. A. Frankf. 1747), *Bielfeld* (instit. polit. à la Haye 1760. II, 4.), *Mably* (de la legislation. — Entretiens de Phocion. Zürich 1763), *Achenwall* (die Staatsklugheit. Gött. 1761), *Pailey* (principles of moral and political philosophy. Lond. 1785; germ. vert. *Garve.* Leipz. II. 1787, ubi tomus secundus totus fere politicen spectat) etc. — 7) Praeter immortale illius opus „de l'esprit des loix" et aliud praestantissimum historiae exemplar „Considérations sur les causes de la grandeur des Rom." nec facetissimus eiusdem libellus „lettres Persanes" cuique negligendus.

§. 17.

§. 17.

Sectio tertia. Studia virorum, quos modo adduximus, philosophia inde a *Kantio* aliisque praeclaris ingeniis copiosissimis renata, in omnes cognitionum humanarum partes haud exiguam profundens lucem, turbae denique in Gallia ortae, totius fere Europae faciem mutantes aut saltem quassantes, atque magnum rerum civilium sedulo disquirendarum incitamentum praebentes; haec sunt elementa, ex quibus politice, ut hodie floret, prodiisse videtur. Initium faciendum ab celeberr. *Schlözero*, cui universam doctrinam in unum corpus redactam iustoque ordine digestam (licet multo loco emendationi relicto) debemus [1]). Alii hac in re eum sequuti sunt, multaque ex eo inde tempore, diversissima quamvis, exstitere incrementa, singillatim hic loci non recensenda. Multum quidem abest, quin ea, cuius ideam habemus, adsit perfectio, quod nec unquam accidere potest; quaelibet enim aetas, sicut amplius progreditur, ita remotiores sibi proponit fines. Plerique homines in partes correpti sunt, quarum has praecipue nominandas existimem. Nonnulli, *Kantio* vestigiis inhaerentes, methodum formalem nullo inter rerum indolem facto discrimine adhibebant, et, quamvis

multa

multa cum mira sagacitate enuclearent, tamen, notiones generales extra limites a rerum natura descriptas extendentes, veri nonnumquam specie decipiebantur. Alii, manifestis illorum erroribus ad viam oppositam perducti, ab omni usu speculationis (ut barbare utar vocabulo) abstinendum rati, solam historiam magistram sequi constituerunt. Sed esse summas civilis vitae leges, quae ex ima ratione facilius evolvantur, et evoluta demum ad historiam melius intelligendam magnopere iuvent, alii certe edocti sunt, et propterea in recentissima philosophia huius finis impetrandi periculum fecerunt, nec dubitandum videtur, quin, quum nonnulla iam hoc modo optime illustrata sint, maiora adhuc incrementa inde sperari possint, dummodo indefesse hisorias et considerare et excolere non desinant. Omnes, licet diversis viis procedant, eidem fini adpropinquant, atque, quo propius accesserint, eo facilius inter se invicem conciliabuntur. Quanta sagacissimi illius Angli *Burke*, quanta praecipue ex nostratibus plurimorum, aut vita iam functorum, v. g. *Io. Mülleri*, *Fichtii*, aut etiamnum patriam ornantium, eaque liberata altiori genio inspiratorum, de doctrina promovenda sint merita, quamvis alieno interdum a politice fine ad conscribendos

libros

libros commoti essent, grata mente numquam non agnoscentur. Sed tempus, quo vivimus, posteritati linquamus iudicandum.

1) Algem. Staatsrecht u. Staatsverfassungslehre. (. 1793.

Haec sunt, quae iam publici iuris facienda existimavi. Quae vero si ex eruditorum sententia haud perditi laboris censeantur, Deo conatibus adnuente historiae politices ampliore commentario illustrandae operam navare constitui.



